



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Archicancellariis Sacri Romani Imperii Ac Cancellariis Imperialis Avlae

Mallinckrodt, Bernhard von
Monasteri[i] Westphaliae, 1640

Carolomanvs Rex.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11835

zones, Eppones, Rothones, Nixones, Ranones, VVulpones siue VVulfones, passim apud antiquos Scriptores reperias: qui cum Bernardis, Sunderoldis, Benedictis, Godfridis, Henricis, Meinhardis, Gundobaldis siue Gundakarijs, Arnoldis, Iohann. Burchardis, Ludouicis, siue Luitprandis, Eberhardis, Rothardis, Nithardis, Reginoldis, VVolfgangis ijdem sunt. Gezonis eodem nomine, Othonis I tempore, Tortonenfis Episcopus fuit, qui subscripsit cum alijs multis literas eius, quibus Apostolica Sedi regalia confirmat, tom.3. Concil. part.2 pag.151. Sed ad propositum post diuagationem me recipio.

CAROLOMANVS REX.

ALter Ludouici filiorum, de quibus hinc extra Casarum numerum agimus, Carolomanus fuit, (de tertio enim Carolo, qui imperauit, inter Carolinae stirpis Casares iam dictum est) Boiariorum Rex, Arnulphi Imp. parens; sub quo Baldonem inuenio in literis, Octinganae veteri Capellae, *Baldo Frising Episcopus.* praecipua a tot iam seculis hodieque venerationis, & religiosarum peregrinationum, miraculorumque frequentia nominatissima, concessis, apud Gevvold. in addit. ad Metrop. Hundj, tom. 3, pag. 61. Illarum subscriptio sic habet: Mandalvvinus Notarius ad vicem Baldonis Cancellarij recognoui. Datae VI. Kal. Mart. an. Christo propitio, primo regni Domini Carolomani, Serenissimi Regis Boiorum, &c. an. Chr. 876. Videndum an non Baldo hic sit eius temporis Frisingensis Episcopus; quem supra in Carolo Crasso VValthonem siue VValdonem vocari *Theodmarus Salisburgensis Archiepiscopus.* vidimus: qua de re satis liquere crediderim. Praeter hunc Theodmarus se offert, Salisburgensis Praesul, (septimus ab Arnone, primo Iuvaviensi Archi-Episcopo, fratre B. Alcuini Abbatis, Caroli Magni praceptoris, a quo Aquila nominatur) * qui quem sub Arnulpho, & filio eius Ludouico, gessit ** vid. Epist. Alcuini 66, 78, & 104.* Archi-Cancellariatum, iam antea sub hoc eorum Auo Patreque Carolomano obiuerat. Testis eius rei idem Gevvoldus, in praedictis additionibus; vbi literae Carolomani hoc modo subscriptae leguntur: Mandalvvinus Notarius ad vicem Theodmari recognoui. Datae V. Id. Sept. anno Christ. propit. tertio regni Domini Carolomani Regis in Boiaria, & primo in Italiâ, DCCCLXXVIII. Apud eundem Gevvoldum etiam sequens recognitio extat: quam ideo addo, ne quis de Archi-Capellanatu eius etiam sub Carolomano obito, dubitare possit: Baldo Cancellarius ad vicem Diotmari recog. an. primo regni Carolomani,

D

mani,

mani. Nec enim Cancellarius alicuius nomine & vice, præterquam vnus Archi-Cancellarij siue Archi-Capellani, recognitionem facere potuit.

CONRADVS I.

ATque hætenus de Carolingis. sequuntur reliqui Germanici Reges, Cæsaresque, qui sine controuersia, & contradicente nullo, pro Teutonicis reputantur. Illorum primi sunt Conradus, & Henricus Auceps; quos Papali benedictione & coronâ caruisse constat Hi quibus Epistolarum Magistris, Iuris Tutoribus, & Consiliorum Præsidibus vsi fuerint, necdum fortè satis sufficienter subodorari potui: eò quòd rariora videantur illorum Diplomata superesse. nisi tamen hinc inde in Archiuorum abditis etiam nunc delitecant, vtinam cum eiusdem generis quàm plurimis alijs, quibus hætenus publicam vel negligentia, vel inuidia denegat, lucem aliquando visura! Conradi Diploma extat apud Kleinsorgium in Chron. Eccles. VVestphalia; quo an. 913, regni secundo, confirmat Corbeiensium Priuilegia: verùm id à Notario aliquo vel Cancellario recognitum non est. Apud Gevoldum de septem-virtu, pag. 91, num. 24, sequentem legimus subscriptionem: VVodelfridus Cancellarius ad vicem Pelegrini Archi-Capellani recogn. an. 912. an. Regis Conradi primo. De Pelegrino, sub Ludouico huius Conradi prædecesore, dictum est: VVodelfridum, adhuc quæro.

*Pelegrinus
Archi-E-
piscopus
Salisbur-
gensis.
VVodelfri-
dus.*

HENRICVS AVCEPS.

Sequitur iam Henricus Auceps, Saxonorum Cæsaris primus: cuius literas edidit inter Othonis filij Diplomata (excusa sunt cum Widekindo Saxone & Rosvithâ) Henricus Meibomius Lemgoiensi, quondam Professor Historicus Helmstadianus, pag. 116; quibus Recognitor desit. Idem hic Cæsar, (cur enim fraudem meritis titulis optimum Principem, quos nec ipsamet Canonica Iura illi denegant?) postquam Lotharingiæ regnum è manibus Gallorum liberâisset, aliud Diploma emisit, quod extat apud Miræum, in Cod. donat. c. 50. & Not. Eccl. c. 153, ita subnotatum: Hilduinus Notarius, vice Rotgeri Archi-Episcopi recognoui. Iste Rotgerus, Treuironum 68 in ordine Antistes fuit, vir doctus & prudens. Scripsit librum Decretorum, ac Henrico Aucupi contra Normannos bellum gerenti auxilio fuit. Sedit an. 22. obiit an. Chr. 934. Gevoldus etiam pag. 91. num. 25, sequentem sup-
peditar

*Rotgerus
Archi-E-
piscopus
Treuiren-
sis.*